



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Vita P. Ignatii Loiolae, Qui religionem Clericorum
Societatis Iesu instituit**

Ribadeneyra, Pedro de

Coloniæ Agrippinæ, 1602

Prouincialis in Italia declaratur Laines: Viennæ moritur Iaius. V.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45323

L I B E R IV.

453

P R O V I N C I A L I S I N I T A L I A

declaratur Laine: Viennæ mo-
ritur Iaius.

C A P - V T V.

E Thæc quidem in Hispania. In Ita-
lia verò eodem anno 1551. Colle-
gium Florentinum, Leonoræ Du-
cis benignitate, initium habuit. Nea-
politanum item, ac Ferrariense. Et ad
Neapolitanum quidem collocandum
ac stabiliendum, magnum adumen-
tum attulit Magister Alfonsus Salme-
ron, ob eā ipsam rem ab Ignatio Nea-
polim missus. Ferrariense verò inchoa-
uit Hercules 11. Ferrariæ Dux, qui &
Nicolao Bobadilla, & Claudio Iao
familiariter v̄sus fuerat, nascentem-
que fouerat Societatem: ad quem Pa-
lachius Broet, constituendi Collegij
causa, ab Ignatio tuncmissus est. Qui-
bus quidem Collegijs, reliquisque per
Italiā factis, præfecit Ignatius, & Præ-
positum Prouincialem constituit Ma-
gistrum Iacobum Lainem, qui sub an-
num 1550. exuentem, redierat ex Afri-
ca: ubi Christianis militibus egregi-
am nauauit operam in eo bello, quod
Duce Ioanne Vega Siciliæ Prorege,
aduersus Christiani nominis hostes,

expu-

expugnato Aphrodisio, feliciter gesti est. Ad cuius capti iam oppidi defensionem, animandos milites in præsidio erant, & in pietate iuuādos, profectus Hieronymus Natalis, euasit ex naufragio diuinitus, socio nauigationis lsdoro Sbrando in fluctibus extincto, anno 1551. Sed etiam in Germania, eodem tempore Societas creuit. Nam Ferdinandus Romanorum Rex, ut Viennensis Academiæ studia instauraret, & hæreticorum passim grassantium furorem compesceret, Claudium Iaiū ad se accersiuit, & aliquot Theologiaz professores ab Ignatio postulauit: qui Viennam eodem anno 1551. profecti, apud Dominicanos sunt in seposita Monasterij parte diuersati: postea verò ne religiosis Patribus impedimento essent, in Carmelitarum Cœnobiu relictum, ac ruinosum, Præfectis eius Ordinis libentissimis, commigrarunt.

In hoc Collegio anno 1552. 6. Augu sti, ipso Dominicæ Transfigurationis die, P. Claudius Iaius Ignatij socius, vnu ex primis decē, natione Allobrox excessit è vita: vir de Christiana Religione optimè meritus, quam in Italia, Bauaria, Suevia, Austria, Germaniata, magnis suis laboribus amplificare non

non destitit. In comitijs potissimum Augustanis peregregiam Catholicæ Religioni atque Societati nauauit ope ram, tanta hominum approbatione, vt præteriorum laborum pro Germaniæ salute susceptorum fructus haud pœnitendos collegisse videretur. Nomen, originem, progressum Societatis & institutum sic explicauit, & Germanorum animis infixit, vt autoritatem nostris & fidem conciliauerit. Invitatus est à Saxoniæ Ducis Oratoribus ut in Saxoniam se conferret, ac de Religione cum eorum magistris disciparet, sed à Ferdinando Romanorum Rego ad Collegium Viennæ constituendum (ut diximus) euocatus, profectionem illam distulit. Fuit vir mitemissimo præditus ingenio, & naturæ iucunditate quadam religiosa grauitate condita : paupertatis amore insiggnis; orandi assiduitate excellens, temporis parcus, & tenax; animi modestia atque humilitate eximius. Tergestinum Episcopatum tam grauiter firmiterque repudiavit, vt multos dies in continuo penè luctu iaceret, quod illum effugere se posse diffideret: sed illo me tuliberatus, ad pristinam rediit iucunditatem.